



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VIII. De visitatione Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. VIII.

De visitatione Episcopi.

Pertinet etiam ad jurisdictionem Episcopi jus visitandi omnes Ecclesias, etiam Cathedralis, suæ diocesis, monasteria, beneficia curata, & non curata &c. nisi speciali privilegio exemptasint, & à propriis suis Prælati visitentur, quæ quidem visitatio singulis annis de jure antiquo. *c. conquerente. h. t.* vel ab Episcopo, vel ab alio, vicem Episcopi agente, deberet institui; juxta Trident. tamen *sess. 24. c. 3. de reform.* sufficit, si saltem singulis bienniis absolvatur, ut orthodoxa scilicet fides conservetur, & propagetur, mali mores corrigantur, & boni inducantur: neque ab hac visitatione exempta sunt ulla loca pia, aut Ecclesiæ, monasteriis etiam exemptis, unitæ, si tamen populus earum subditus sit Episcopo loci in spiritualibus (quia tales uniones fieri solent, salvo jure Episcopali) & juxta Trident. *sess. 7. c. 8. de reform.* etiam Ecclesiæ sæculares, quæ ex Privilegio se prætendunt exemptas à visitatione; quæ visitari debent ab Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, non obstante tali privilegio, ut ait Trident. adhiberi autem debent in visitatione monasteriorum regularium pauci illique idonei Ecclesiastici regulares, & non sæculares Clerici, aut laici prout statuitur in *c. ut juxta 17. h. t.* ubi Episcopo monasteria visitanti, non nisi duos trêse, suæ Ecclesiæ Cathedralis Canonicos permittitur ad Capitulum adducere, ne in claustris, ut ait Pontifex, anfa detur dissolutionis alicujus.

§. IX.

De iis, quæ spectant ad officium Episcopi ex lege diocæsanâ.

Constitit lex diocæsanâ Episcopi primò in convocatione Synodi *c. quod super 9. de major. & obed. secundò spectat ad legem diocæsanam exactio annua Synodatici, & Cathedralici, cujus nomine duos solidos, aut duos aureos à qualibet Ecclesiâ suæ diocesis petere potest Episcopus, etiam à capellis sive Parochiis, monasterio quamvis exempto incorporatis; nominatur autè hæc pensio Synodaticum, quia in Synodo, quot annis celebranda; Episcopo solvi debet; & Cathedralicum dicitur, quia ob dignitatem Cathedralis Episcopalis solvitur. Tertio numeratur etiam inter ea, quæ ad legem diocæsanam spectant, quarta decimarum, ita ut quarta pars decimarum, quæ ad Ecclesias Parochiales Diocesis pertinent, detrahi debeat, & ob curam universalem Episcopo solvenda sit. Quo eodem modo etiam se habet quarta mortuorum quarta scilicet pars ex legatis seu funeralibus oblationibus, quæ factæ sunt Ecclesiis, aut aliis piis locis intra diocesis sitis, detrahenda, & Episcopo solvenda. Quarto ad legem diocæsanam etiam pertinent procurationes, sive vicualia, Episcopo, dum visitat, ab Ecclesiis, quæ visitantur, solvenda, juxta cujusvis Ecclesiæ facultates moderanda, & in quantum ad unius diei victum sufficiunt. Et quinto denique ad legem diocæsanam pertinet, etiam petitio moderati subsidii charitativi, quod ex causa rationabili & manifesta exigere potest à suæ diocesis*